



**Inferioris Germaniae Provinciarvm Vnitarvm antiquitates :  
scilicet; de Rheni tribus alveis ostiisque, & de Toxandris,  
Batavis, Caninefatibvs, Frisiis, Marsacis, aliisque populis :  
adjectæ tabulæ geographicæ : item picturæ operum ac  
monumentorum veterum, nec non Comitvm Hollandiæ,  
Zelandiæ, & Frisiæ eicones, eorumdemque historia.**

<https://hdl.handle.net/1874/420774>

Vetustissimorum  
VLTRAIECTENSIVM  
PONTIFICVM  
INDIGITAMENTA, ET RES GESTAE  
MAXIME MEMORATV DIGNAE.

*Auctoribus*

# HADRIANO BARLANDO

GERARDO NOVIOMAGO.

Sundahl - ssp ad  
Northfield, q dicit Schaeff.  
si nancissimum & Chrysanthia epis.

<sup>2</sup>  
Ex Bedæ Ecclesiastica Historia Gentis Anglorum,  
Lib. v. cap. XII.

**G**loriosissimus Dux Francorum Pipinus, misit savente omnium consensu vi-  
gus habebat, postulans ut idem presonum genti Archiepiscopus ordinaretur. Quod  
iota ut petierat impletum est, anno ab incarnatione Domini D C XCVI. Ordina-  
tus est autem in Ecclesia S. Martyris Cecilia, die Natalis eius: imposto sibi a Papa me-  
morato nomine CLEMENTE ac mox remisso ad sedem Episcopatus sui: Idefl, posse  
dies quatuordecim ex quo in Urbem venerat. Donavit autem ei Pipinus locum catho-  
dra Episcopalis in castello suo illustri quod antiquo gentium illarum vocabulo WIL-  
TABVRG, id est oppidum VViltorum, lingua autem Gallica TRAIECTVM  
vocatur. In quo adificata Ecclesia reverendissimus Pontifex longe latè verbè  
Fidei predicans, multosque ab errore revocans plures per illas regiones Ecclesias &  
Monasteria nonnulla construxis. Adhuc superest, longa iam venerabilis aetate, ut poto  
tricesimum & secundum in Episcopatus habens annum &c. [Obiit autem Beda anno  
D C XXXV.]

Ex Sigeberti Gemblacensis Chronico,  
ad annum D C XCVII.

**WILLIBRORDVS** à Sergio Papa CLEMENS agnominatus, & ad predican-  
dum genti presonum Episcopus consecratus, ex dono Pipini Princeps sedē Episcopalem  
statuit in loco VVLTABVRG dicto, qui nunc VVLTRAJECTVM dicitur.  
à nomine gentis Vultarum & Traiecto compositum, quasi Vultarum oppidum.  
Nam TRAIECTVM lingua Gallica oppidum dicitur.

Ex Meieri Annalium Flandriæ lib. I.  
ad annum D C XC I.

Per idem tempus viri sanctissimi Vulfrannus Pontifex Senonum, & VVilli-  
brordus Saxogenere, Frisii, Batavis, Flandrisque predicaverunt. Nam VVilli-  
brordus missus ex Britannia ad convertendos Frisios, factus est Episcopus Traiecten-  
sium Cui Sedetiamnunc ex Flâdris parent Bierfletani, Hulstani, Axellani, Haspen-  
sesque per VVillibrordum olim sancta inaugaurati Religioni. Vix puto tunc intercessisse  
mare inter Flandros & Frisios inferiores, qui nunc Hollandi & Zelandi.

HADRIA

HADRIANI BARLANDI  
TRAIECTENSIVM  
EPISCOPORVM  
Catalogus & Historia.

3

WILIBRORDVS, *dictus CLEMENS.*

I.

WILIBRORDVS natione Saxo-Britannus, primus fuit Trajectensium Antistes, qui dignitatem adeptus Clementis nomen assumpsit. Pueritia huic exacta inter viros pietate in signes ; quorū assidua consuetudine juvenis & optimus evasit, & in studiis bonarum artium ita paucis annis profecit, ut æquales suos rerum scientia infinitis partibus anteierit. Postea sacris initiatus trigesimo etatis anno proficiscitur in Germaniā, ubi sua prædicatione multos mortales ad unius Dei cultum pertraxit ; sed & aliis perlustratis regionibus dogma Christianum longè lateque propagavit. Per hæc atque alia pietatis opera Ecclesię Trajectensi præfectus, Christi nomine suorum animis inferendo, longè optimum egit Antistitem. Quod hodie est in ea vrbe Divi Martini celebre templum idem consecravit ; potitusque est dignitate annis ferme XL.

WINFRIDVS, *dictus BONIFACIVS.*

II.

AVilibordi morte præfuit quidam BONIFACIVS nomine, vir insigni pietate. Nihil hic quoque prius habuit, quam exstirpatis erroribus in fide continere populos, qui semel baptismō admoti nomen duci Christo dedissent. Quot annis Trajectensem Ecclesiam rexerit non invenio. Illud constat, à Frisis cum interemptum, quibus per id tempus Christianum nomen in visum erat.

## III.

## GREGORIVS.

**E**ccllesia sic à VVilibrordo & Bonifacio, viris laudatissimis, piè sancteque instituta, postea Gregorium habuit Antistitem; quo administrante Trajectum ex Anglia venit quidam vir non tantum doctus, sed & integer, qui non multò post in Canonicorum adscitus Collegium Gregorio jam per senilem etatem administrationi minus idoneo socius adjungitur; quumq. vnā mensibus aliquot summa concordia præfuerint, Adelbrico in Italiam ablegato negotij caussa, Gregorius in morbum incidit. Amici, & qui eum sectari solebāt, vbi invalescere indies malum animadvertisserint, vbertim fere, quod optimo se patre mox privatum iri videarent: queri etiam cœperunt, maximo suo detimento à patria longissimè abesse Adelbricum. Itaque Gregorius, vt tristes suos aliqua ex parte consolaretur, Nihil est (inquit) fratres quod vereamini; non enim prius moriar, quam ille hoc redierit salvus. Neque defuit vaticinio eventus. Nam triduo antequam è vivis excederet Gregorius ex Italia reversus Adelbricus in locum defuncti collegæ maximo atque incredibili omnium gaudio subrogatur.

## IV.

## ADELBRICVS.

**H**Vjus Episcopatu inventum Daventrię corpus D. Lebuni, quod aliquanto ante diu multumque quæsumum impij Saxones in nihilum redigere decreverant. Adelbricus jam Antistes non (vt hodie faciunt) equos alebat, neque canes ad venandum, sed populum docere, orare pro salute regis sibi commissi suum esse officium existimans, nihil agebat aliud. In hoc studio quum annos aliquot exegisset, vitam cum morte commutavit. Corpus ejus Trajecti sepulchro latum in Aede Salvatori sacra.

THEO-

## THEODARDVS.

v.

**S**Vcessit Adelbrico Theodardus natione Frisius. Hic vir optimus idemque longè doctissimus nunc alios divinarū literarum interpres audiebat, nunc ipse docens populari- um suorum animis Christum inferebat; maximum existi- mans in ea re situm esse fructum charitatis. Taceo exantatos labores: nihil dico de jejuniis, in quibus tam frequens fuit, ut suprà modum affligeret corpus. Quam diu præfuerit, non tradunt Commentarij quos sequimur. Sepultus & hic est in Æde Salvatoris.

## HERMACARVS.

vi.

**H**ermacarus, qui Theodardo superiori suffectus est, vir sanctissimus; nihil ipse quoque pulchrius duxit, quam noctu preces ad Deum fundere pro salute humani generis, interdu vero populum hortari ad omnia pieatis officia, vel hoc solo nomine dignissimus qui quam diutissime præcesset. Hunc etiam defunctum Traiectenses in Salvatoris Templo sepelierunt.

## RIFRIDVS, aliâ RIXFRIDVS.

vii.

**S**equitur Rifridus patria Frisius; qui Traiectinæ Dioecesi multis à Carolo Magno imparatis Privilegiis, tandem se- nio confessus in febrem incidit, quam mors sequuta est. Obi- tu ejus Antistitis, qui patrem vitæ sanctimoniam cum erudi- tione copularat, Civitas mœrore affecta ad Salvatoris Tem- plum multis eum cum lacrymis extulit.

## FRIDERICVS I.

viii.

**S**Vbjiciuit in defuncti locum Fridericus, claris ortus nata- libus in Frisia; qui tamen oblatum sibi Episcopatus hono-

rem diu recusavit, populum adhortans, ut alium quererent, cui tutius res tanta committi posset: rogatu tandem & precibus Imperatoris Ludovici Pij suscepit administrationem ingenti totius gaudio Civitatis, cui sanctitas viri pietasque perspecta erat. Compositis igitur initio rebus, in Zelandiam perfectus assiduis concionibus ejus Insulæ gentem ab illicitis conjugiis (quibus tum vacabat) revocatam ad sanctioris vitae retraxit in statum. Postea per lustratis etiam aliis locis, multos sua prædicatione ad Christum convertit. Incepuit & Ludoicum Imperatorem sepius, quod ipse quoque in matrimonio illico consenseret: atque per hæc in visus ejus uxori, immisis quodam die ab eadem percussoribus, graviter vulneratur. Convocatis itaque suis, primùm jussit eos bono esse animo: non defuturum, etiam se defuncto, bonum Patrem. Deinde commendata superis anima exspiravit, magnō reliquo sui apud omnes desiderio. Corpus ejus in Salvatoris Basilica tumulatum est.

## IX.

## ALFRICVS.

**A**lficus, Friderici superioris frater, inde fit Episcopus, vir sanctitate illustris. Hoc administrante, fatali lege consumptus Trajecti est Odulphus Confessor, qui Friderici temporibus illuc venerat. Extinctus Alfricus ipse quoque est in Æde Salvatoris humatus.

## X.

## LUTGERVS.

**L**utgerus in demortui locum Episcopus declaratur, homo non solum eruditus, verum etiam sanctus. Nonnulli scribunt hujus temporibus Brixia civitate Italiae tribus continuis noctibus ac totidem diebus sanguinem pluisse. Hic Antonistes, quoad Ecclesiam praefuit, continentia amicus, sèpè humi-  
cubare, sèpè etiam noctes totas orando consumere solebat.  
Ejus

E P I S C O P . T R A I E C T E N S .

Eius corpus multa venerazione Cives Templo Salvatoris in-  
tulerunt.

7

H V N G E R V S .

X L .

S Equitus Hungerus, multa vir sanctitate, nec minore do-  
ctrina; cuius administratio incidit in ea tempora, quibus  
Ecclesiam Traiectensem latissime depopulati sunt Dani: quæ  
mala variis præmonstrata sunt prodigiis, quæ paulò ante id  
tempus apparuere. Stella visæ sunt inter se concurrere, tem-  
pestas ventorum exorta, qualis post memoriam hominum  
numquam ante à fuerat audita; flumina omnia adjacentibus  
campis infusa, cum foeda villarum & animalium strage. Hæc  
atque alia multa tum accidere luctuosa. Hungerus Antistes  
jam gravis annis fato decepsit.

O D I L B A L D V S .

X I I .

O Dilbaldus Frifo post illum est Episcopus creatus. Magna  
hujus viri sanctitas, magnum pietatis studium, quoties  
agrotantes pauperes visitavit, in opiam illorum eleemosynis  
sublevans. Pupillis quoque & viduis ita affuit, ut numquam  
non ab injuria defensos ære suo aleret. Obiit anno suæ crea-  
tionis XXXIII.

E G I L B O L D V S .

X I I I .

H Vic suffectus est Egilboldus, qui solo pietatis studio pe-  
cuniā & opes omnes fortiter contempsit. Is mense sexto,  
quād administrare cœperat, fatali est morte consumptus.

R A D B O D V S .

X I V .

I N ejus locum subrogatur quidam Radbodus, licet invitus  
ac renitens. Hic vir sanctitate vitæ ac doctrina venerabilis  
conscriptit opusculum de VVilibordo & Bonifacio Divis.  
Huius

Hujus etiam est Officium, quo in Horis Canonicis Ecclesia Trajectensis viritur in Festo Translationis Martini Turonensis, gloriosi patroni sui. Invenio in Commentariis rerum gestarum Hollandiae, Radbodus Antistitem ferè toto tempore suæ administrationis Daventriæ commoratum, propter Danos, qui Trajectum occuparant. Idem Radbodus divino spiritu afflatus prædictis fertur cuidam Baldrico optimè indolis iuveni, futurum vi exacto triennio ipse Trajectensem Pontifex factus Vrbem, quæ Danorum incursione variis anteas cladibus fuerat afflita, in pristinum reduceret statum. Quod certè evenit. Nam posteaquam annis **XVII** Radbodus sedisset, hoc defuncto, omnibus suffragiis Baldricus electus est. Radbodi corpus Daventriæ Clerus magnifico sepelivit apparatu: estque hic primus omnium Antistitium extra Trajectum sepultus.

## BALDRICVS.

A **xv.**

**B**aldricus jam Episcopatum adeptus, primùm omnium, expulsis Trajecto Danis, affl̄ctam deformatamque Savitia hostili Vrbem reparavit. Postea in Italiam est prefectus, vnde impetratis nonnullis ab Othonè Rege, quæ ad Ecclesie Trajectensis ornamentum pertinebant, secum advexit Benigni, Pontiani & Agnetis Martyrum corpora, quæ Trajecti deposuit in Aede D. Martini sacra. Periit fato **VI** Idus Ianuarias, anno suæ creationis **LIX**. Vbi sit humatus non invenio.

## VOLCMARVS.

A **xvi.**

**P**ost Baldricum Volcmarus quidam summa vir bonitate præfuit annis **XII**, & amplius. Vbi sit funeratus non est prodiuum memoria ab his, qui res collegerunt Hollandicas.

## BALDVINVS.

A **xvi.**

**B**aldinus patria Hollædus inde Antistes fuit. Ab hoc nihil reperio toto triennio, quo sedet, gestu memoria dignum.

AVFRIC.

EPISCOP. TRAIECTENS.

9

AVERIDVS. aliâs ANSFRIDVS. xviii.

Mortuo Balduino subjectus est Aufridus, illustri ortus familia. Hoc Pontifice, Otho Imperator multa donavit Ecclesiæ Traiectensi; & post Othonem Henricus non minus exstitit in eandē Ecclesiam munificus. Aufridus, quum jam aliquot sedisset annis, utrumque oculum amisit. Idem non longè ab Amersfordia oppido extruxit Cœnobium Fratrum D. Benedicti. Obiit anno sua gubernationis xvi.

ADELBO LDVS.

xix.

Adelboldus quidam est inde creatus Episcopus. Ad hunc referuntur Templi Traiectensis instauratio, quæ incidit in annum à Natali Christi c. 10 x v. Non multò pōst visa est crinita stella prodigiosa magnitudine; quæ præcessit bellum atrox, quod postea gestum est inter Episcopum Adelboldum & Comitem Hollandiæ. In quo bello tam multi utrumque periére, ut convulsæ propè sint utriusque vires. Habuit Adelboldi Episcopatus (quocumque obiit Hollandiæ Principe) annos x i i x. Hic Antistes in Basilica D. Martini situs est. Ab eodem nonnulli putant institutum esse Canonicorum Collegium in Treleni Ecclesia.

BERNOLDVS.

xx.

Defuncto Adelboldo suffectum legimus Bernoldum quendam, virum sanctitate insigni, cuius Pontificatu obiit Theodericus Comes i v Hollandiæ, Hierosolymis domum reversus. Paucis post annis Dordraci intrâ muros Coloniensis & Leodiensis Episcopi, & Theodericus v Hollandiæ Comes, infestis signis concurrere; qua acie quadringenti Nobiles cecidisse traduntur. Ad Bernoldum sunt qui referant institutionem Collegiorum D. Petri & S. Ioannis Baptista Dominici Præcursoris. Hic Antistes extrâ vibem Trajecten-

bb

jeſten-

10 HADR. BARLANDI CATALOGVS

jeстенем moritur, quum annis xx & amplius p̄fuisset.  
Estque defuncti corpus Trajecti sepulchro illatum in Templo D. Petri Apostolorum principis.

XXI.

GVLIELMVS, I.

IN Bernoldi locum Gulielmus Geldrici sanguinis Episcopatum adipiscitur, vir armis insignis. de cuius tamen rebus gestis nihil invenire potui apud scriptores. Anno gubernationis xx i in humanis esse desit.

XXII.

CONRADVS.

GVLIELMO vita functo successit Conradus, gente Suevus. Ab hoc exstructa Arx in Iselmonda ad Hollandorum vim inhibendam. Idem (ut reperio) instituit Collegium Trajecti Canonicorum Deiparae Virginis. Haud multò post interemptus à Frisio homine, cuius sibi, nescio quomodo, invidiam conflaverat.

XXIII.

BVRCHARDVS.

Post hujus cædem legitimo suffragio Burchardus quidam electus est; in cuius tempora incidit memorabilis quædā in Turcas expeditio, qua vieti Turcæ, & Hierosolyma expugnata. Hic Antistes rebus p̄fuit annis xiv.

XXIV.

GODEWALDVS.

Successorem habuit Godevaldum Friesum. Hic est ille, qui Middelburgi apud Zelandos, ejectis Regularibus Canonis, qui omnia luxu perdebant, curavit, ut ex Monachis S. Michaelis Antverpiæ, complures illuc migrarent, sanctius Deo militaturi. Hoc Cœnobium posteà studio ac diligentia gubernantium ad maximas opes pervenit. Vnde factum existimo, ut nostris temporibus, Abbatis eligēdi potestate Monachis

EPI SCOP. TRAI ECTENS.

II

nachis adempta, saeculares Principes manus injicere coepi-  
rint eorum possessionibus. Godevaldus, exactis in Pontifi-  
catu annis x v, monasticam vitam amplexus haud multò  
post ad superos abiit.

ANDREAS KYCKENSIS.

xxv.

Sequitur hunc Andreas quidam Kuyckensis Comitis filius,  
vir pacis & otij studiosissimus, qui in Egmondensi Mona-  
sterio apud Hollandos extinctani penè pietatem revocavit.  
De hoc nihil aliud memorabile proditum literis invenio.  
Naturæ concessit anno suæ creationis x. Trajecti majorum  
sepulchro illatus.

HERBERTVS.

xxvi.

H Vic sufficitur Herbertus gente Frisius, cuius temporibus  
Hollandie Princeps Theodericus Trajectum valida ma-  
nu obsedit. Itaque Herbertus Antistes maximis copiis cin-  
etus, primum Cives hortatus est, ut moenia Vrbis defenderet;  
ipse deinde cum universo Clero egressus Vrbem, ut Anathe-  
matis spiculum in Hollandos distingeret, ejus metu eō Prin-  
cipē adegit, ut supplex veniam petierit. Hujus nobis belli fa-  
cta mentio in eo libello quem nuperim rogatu amicorum  
emissimus de Principum Hollandiae rebus gestis, maximè di-  
nis memorat. Herbertus fato mortuus est, quum annos x i i  
& meases i v Ecclesiæ Traiectensi præfuerit.

HERMANNVS HORNIUS.

xxvii.

E St inde discordia laboratum Trajecti, Civibus vehemen-  
ter aversantibus eum Antistitem, quem Nobiles aliquot  
surrogari in demortui locum percupiebant. Is fuit Hermann-  
nus Hornius D. Gerconis Coloniæ Præpositus, qui non  
bb 2 multò

multò post interventu Cardinalis cuiusdam à latere (ut vulgo dicitur) Episcopatum est adeptus. atque ita resedit omnis ille motus, Harmanni verò nimis lene ac mite ingenium, plusne boni, an mali Trajectensisbus attrulerit, nescio. multi enim, quibus cōtemptui fuit illa viri lenitas, mala multa petrarent. Hermannus, quum annos V I administrasset, vita defunctus est.

## XXIX.

## GODEFRIDVS.

**Q**um postea rursus discordarent inter se Canonici, quorum erat eligere Antistitem, inopinato adventu Friderici I Imperatoris factum est, ut Godefridum quendam majorem Archidiaconum in defuncti Hermanni locum elegerint. Hoc itaque Godefrido & Hollandiae Principe inter se acriter contendentibus de Frisia imperio, ad eos tumultus sedandos Fridericus Romanus Princeps in gratiam Godefredi Antistitis Hollandiam repetiit. Obiit Godefridus, vir ingentis animi, Episcopatus sui anno XXII.

## XXX.

## BALDVINVS.

**B**aldinus quidam, hujus nominis secundus, fit inde Episcopus, mansuetudine & castitate nulli superiorum Antistitum secundus. Hic adeptus eam dignitatem, neque suis, neque domesticæ defuit nobilitati. Mortuus est anno XVIII suæ gubernationis.

## XXX.

## ARNOLDVS. THEODERICVS.

**H**oc defuncto Theodericus Hollandiae & Otho Gelrix Principes, quisque cum ingenti armatorum manu Trajectum ingressi, omnia sic turpissima largitione interturbant, ut Canonicorum pars una Theodericum superioris Baldini fratrem, pars altera elegerit Arnoldum quendam Henbergum.

bergum. Huic Otho, illi Theodericus Hollandiae Comes favebat. In hoc statu annis aliquot exactis Pontifex Maximus Arnoldum xxx Episcopum declaravit; quo paucis post diebus Romae extincto, ejusdem Pontificis decreto, Theodericus in defuncti locum subjicitur; qui ad gregem sibi commissum ex Urbe Roma profectus in itinere moritur. (xxxii)

## THEODERICVS, I. ————— XXXII.

Theodericus, qui post duos illos eodem tempore electos præfuit, ab eo secundus cui ex Episcopis id nomen proximo contigit, adjutus viribus Lotharingiae Ducis semel cum Hollandorum Principe feliciter dimicavit. Superatis enim Hollandis ipse Princeps captus est, quo postea dimissio pax sequuta est. Hic Antistes annum suæ gubernationis vxi vix dum ingressus, desit in humanis esse.

OTHO, I. XXXIII.

Sequutus est hunc Theodericum Otho quidam juvenis, excellenti forma, & ingenio ad res gerendas appositio; qui haud dubie Traiectensium Dicecisi futurus erat utilis Princeps, si largior contigisset administratio. Nondum enim annos II præfuerat, quum vita decederet.

OTHO, II. XXXIV.

Hoc extinto, rogatu Hollandiae Geldriæque Principum, electus est Otho filius Comitis Lippensis; qui ad tempus commissa administratione fratri suo Hermanno, Imperatorem Fridericum in longinas terras proficisci entem est sequutus; vel quod opera ejus consilioque vteretur in rebus gerendis Imperator, vel ut ipse diversis peragratis regionibus ad suos rediret peritior. Itaque non multo post reversus, conflato ingenti exercitu, bellum gessit cum Principe Geldriæ, qui cum Zelandis facta conspiratione bona Episcopatus

temere adortus fuerat. Legitur eo bello viciisse Otho Antistes partim cæsis, partim fugatis hostibus. Idem postea in pœlio occisus est, quum profectus esset in Frisiā ad civilem discordiam extinguidam, quæ apud Grueningos orta fuerat. Corpus ejus deportatum est Trajectum, atque ibi loci sepultum.

## WILBRANDVS BADENBURGENSIS.

xxxv.

Interempti Othonis loco fit inde Episcopus VVilbrandus Badenburgensis, vir magis strenuus quam doctus. In hujus tempora incidit mors clarissimi & sanctissimi Galliarum Regis Ludovici, qui postea Divorum numero adscriptus est. VVilbrandus i i x annis dignitate potitus è vita migravit. Corpus ejus Trajectenses Divi Servatij Templo intulere.

## OTHO, III.

xxxvi.

A illius morte Canonicorum suffragiis Episcopatum est adeptus Otho, appellationis hujus tertius, vir illustri ortus familia; qui Trajectensem sedem, propter assidua bella, tñ crebras inundationes multùm obèratam, studio ac industria sua in pristinum statum restituit. Mortuus est quum administrasset annos x vi.

## GOSUVINVS &amp; HENRICVS.

xxxvii.

xxxix.

Post hunc electus quidam Gosuvinus oblatam sibi dignitatem vltro depositus. A cuius abdicatione Henricus quidam est creatus Antistes. Hic fortii pectore & armis cum diversis Principibus miro usque successu belligeratus est. Obiit anno x i x q iam Reipublicæ Trajectensium praefuerat.

## IOANNES NASSAVIVS, I.

xxxix.

Ioannes Nassavius Episcopus inde creatur. Hujus temporibus anno Salutis humanæ c l o e c l x x x i i , Feso D. Georgij

Georgii magna pars Vrbis Traiectensis deflagravit. Idem, conflagratione aeris alieni Pontificio decore labefactato, post xx sue creationis annum dignitate exiit.

## IOANNES SYRCK, I.

XL.

**C**Vi successit Ioannes quidam cognomento Syrck, tenuitque ix annos Episcopatum Traiectensem. Postea, ex auctoritate Pontificis Maximi, Tullensis Ecclesiae factus Antistes. Hujus itaque discessu Pastore destitutam sedem accepit Gulielmus II.

## GVLIELMVS BERTOLDVS, II.

XLI.

**G**ulielmus, patria Mechliniensis, secundus ab eo Pontifice qui primus ita est appellatus. Hic primum omnium statuit, ne quis illegitimus in Collegium Canonicorum adscisceretur; exstantque super ea re Literæ. quæ tamen postea, invalecente indies magis magisque sacra auri fame, antiquatæ sunt. Gulielmus postea bello, quod gesit cum Hollandiæ Principibus aliquot, ferro transverberatus in vestigio concidit, postquam annis v sedisset.

## GVIDO AVENNIVS.

XLII.

**G**uido Leodiensis Thesaurarius post Gulielmi cædem a parte Canonicorum electus, pro eo adnitentibus magnis Principibus, obtinuit Episcopatum. Hujus temporibus ordo Templariorum primum sublatus est, ob nefandam in mares libidinem. Oblatum sibi a Clemente V Cardinalicum Galerum idem Antistites recusavit, indignum fese tanto honore existimans, quem hodie tam multi etiam ambitionant. Guido, subita vi morbi pressus, obiit anno initæ dignitatis XVI.

FRI.

XLIII.

## FRIDERICVS SYRCK.

**G**vidonjs morte Fridericus Syrck Episcopatū adipiscitur; qui ob æris alieni magnitudinē suis tandem contemptui fuit. In Commentariis quos ad me dedit Martinus Dorpius, vir Theologica sapientia clarissimus, invenio Friderici hujus temporibus, à Ioanne xxi Pontifice Maximo, insertum Canoni Missæ Thomam Aquinatem Prædicatorij Ordinis virum, qui ingenij sui monumenta reliquit posteris multū profutura. Friderici obitus incidit in annum clo CCC XXII. Quo anno per universum Trajectensium agrum mare diruptis aggeribus est evagatum, cum multa satorum pernicie.

XLIV.

## IACOBVS OOSTHORN.

Iacobus Oosthorn, qui defuncto Friderico præfuit, neque fecit quidquam memorabile, neque annum in gubernatione complevit.

XLV.

## IOANNES. DIESTENSIS.

Acobo, ex Ioannis xxi Pontificis Maximi decreto, suffectus est Ioannes Diestensis; à quo institutum reperio Collegium Canonicorum Amersfordia.

XLVI.

## NICOLAVS DE CAPVTIIS.

Post Ioannis obitum, summotis duobus aliis quos discor-dantes inter se Canonici elegerant, Pontifex Maximus Benedictus XII in locum demoriui suffecit virum in signem doctrina juris Nicolaum de Caputiis (ita enim vulgo nominabatur;) qui Nicolaus oblatam sibi dignitatem, vt nimis onerosam, intrà annum creationis deposituit. Idem non multo post Cardinalitio donatus Galero, Perusiae Gymnasio Italæ Collegium instituit, vbi perdiscendis bonis artibus idonei juvenes alerentur: voluitque vt inter ceteros ex Trajectensi Vibe

Vrbe ad capiendum ingenij cultum missi duo admittentur. Pulcherimum certè exemplum. quod vtinam hodie Principes imitarentur, quibus video id multo magis cordi est, ut amplis ac magnificis exstruendis ædibus magnam patrimonij partem insument.

## IOANNES ARKEL, IIII.

XLVII.

**S**equutus est Ioannes Arkel (ita invenio appellatum;) qui adhuc juvenis florente ætate declaratus Antistes, pro magno habuit negotio ea redimere Ecclesiae bona quæ superiores aliquot Episcopi turpi venditione alienaverant. Hic, nisi tam grande æs conflasset alienum, haud dubiè clarissimis viris æquari potuit. Nemo superiorum Antistitium hoc uno fuit bellacior, nemo sèpius cum hoste conflixit armatus; in Hollandos, in Frisios, in Geldros toties intentata arma, & semper miro successu. Praefuit rebus Trajectensium annis XXII. Postea factus Leodiorum Episcopus.

## IOANNES VERNENBURGVS, V.

XLVIII.

**I**oannes Vernenburgus, magno omnium bonorum consensu, deinde fit Antistes; qui dum quodam tempore (vt in rebus bene pacatis) otio indulget, ab hostibus captus non nisi ingenti promissa pecunia redimi potuit. Per hæc tempora Trajecti atrocissimè sæviens pestilentia vastitatè Civitati atculit insignem, abstemptis vndecim millibus hominum. Excessit Vernenburgus Pontifex anno initi honoris VII, non sine veneni suspicioне.

## ARNOLDVS HOORN.

XLIX.

**P**ost hunc Arnoldus Hoornius ex decreto Pontificis Maximi declaratur Episcopus, quum dissidentibus inter se Canonis vacaverat aliquādiu sedes. Hic Arnoldus, quum Tra-

cc

jecti

18 HADR. BARLANDI CATALOGVS  
jecti annos VII administrasset, Leodiensium Antilles ele-  
ctus est.

FLORENTIVS.

L.  
**C**Vi Pontifex Maximus posteà suffecit Florentium Episco-  
pum Monasteriensem; qui vir nulli superiorum Antilli-  
rum pietate aut alio virtutis genere secundus Traiectensem  
Ecclesiæ multum splendoris aitulit, precandi ardore, vt insa-  
nus à quibusdam incœpitus; Quid (inquit) vobis insanire  
videor, si quum oves multas habeam, multum orem? Hic  
Florentius publicè in ordinem rededit ac sacerdotij insigni-  
bus exuit quandam Iacobum Minoritanæ familiae Fratrem,  
qui per aliquot annos Episcopatus dignitatem falsò sibi usur-  
paverat: qua quidem sceleratissimi hominis improbitate fa-  
ctum est, vt nonnulli qui ab eodem anteà sacris iniciati fue-  
rant, postquam desecratus est, vxorem duxerint.

FRIDERICVS BLANCKENHEIM, III.

II.  
**F**lorentio die Parasceves defuncto, exactis in administra-  
tione x annis & mensibus v, successus Fridericus Blan-  
ckenheim; qui vir literatura insignis toto administrando  
tempore opabili præfui: exemplo, vixit omnibus charis-  
simus ob egezia in Rempublicam merita; gestisque bellis  
aliquot, mortem obiit senex, xxx annis in gubernatione  
transactis Funeratus est solemní pompa Trajecti in Templo  
D. Martini.

ZWEDERV<sup>S</sup> CVLENBURGENSIS.

III.  
**E**Legit posteà major Canonicorū pars Rodolphum filium  
Comitis à Diepholt, quem iamen Martinus V Pontifex  
Maximus non est passus administrare, propterea quod omni-  
um bonarum artium rudis esset, ac idota propemodū. Con-  
tulit igitur Episcopatū Traiectensem Pontifex cuidam Zvve-  
dero

dero Culenburghensi, viro & erudito & bono; quem vīi administrationis anno fede Traiectenses deurbant, Rodolphū admittunt. Hunc Zvederus, quem ejectum Hollandi in suas jam vrbes tuendum reeperant, Anathematis telo pe- tivit. Verū hanc discordiam, quæ per longum tempus du- raverat, Philippus Burgundionum Princeps tandem sustu- lit, præcipiens Hollandiæ ac Zelandiæ populis, qui a Rodol- pho desceiverant, ut deinceps hunc Rodolphum solum pro Antistite haberent.

## RODOLPHVS à DIEPHOLT.

LIII.

**H**VJUS temporibus Constantini polis (Iyzantium anti- quis dicebatur) primum a Turcis diebus a iquot atrociter oppugnata, deinde capia est, magna rei Christianæ iactu- ra atque ignominia. Diem obii hic Episcopus anno sui P̄x- fulatus xxi 11.

## GISBERTVS BRERODENSIS.

LIV.

**I**N locum demortui Rodolphi Gisbertus Brederodius, vir illustris, omnium consensu An. istes declaratur; qui dum- taxat annum praefuit & menses xv.

## DAVID BVRGVNDVS.

LVI.

**A**Gisberto Dav'd Burgundus Episcopatum accepit; qui principio nihil habuit antiquius, quam laborem Rem- publicam Traiectensium restituere. Homo communi virili- tati natus, multa fecit in vita memoratu digna. Mira sunt, que de hujus Antistitis indole fama feruntur; quæ nobis eò verita- ti propiora videntur, quod nobilissimo ac clarissimo patre Philippo Principe Burgundionum progenitus est. Admini- stravit, (vi ex quibusdam intellecti,) annis x L, & amplius Hu- matius Dorestadi.

LVI.

## FRIDERICVS MARCHIO BADENSIS

**D**avid successit Fridericus Badensis, vir pacis atque otii longè amantissimus; qui nostra memoria Lyræ Brabantiae oppidulo defunctus est. Hic Antistes, quum adhuc in humanis ageret, Episcopatus administrationem cessit Philippo Burgundo, fratri Davidis Episcopi, qui inter Fridericum hunc & Gisbertum Brerodensem exstitit medius.

LVII.

## PHILIPPVS BVRGVNDVS

**D**E Philippo autem, quum adhuc supersit, nihil dicere constitui, quamquam post initiam dignitatem multa fecit laudabilia: Vnde in certissimam spem adducor, ut hujus viri studio ac providentia collapsæ res Ecclesiæ Traiectensis brevi pristinam dignitatem recipiant.

GERAR.

21

GERARDI NOVIOMAGI  
TRAIECTENSIVM  
EPISCOPORVM  
Catalogus & Historia.

WILLIBRORDVS CLEMENS.  
1.

**A**nno à Nativitate Salvatoris Domini ac Dei nostri Iesu Christi sexcentesimo nonagesimo, VVillibrord presbyter ex Britannia clarissima insula (quam eo sequulo Angli Saxones, divitiae Britannis, sui juris nominisque fecerant) ad inferam Germaniam (quae etiam tum Francia dicebatur) veniens, à Sergio Romano Pontifice, petente p[ro]p[ter]e p[re]fato Francorum Principe Pippino, Ulrajectinus Archiepiscopus Romæ natali Divæ Ceciliae die ordinatus est, accepto Clementis nomine. Hinc ad arcem Orientalium Francorum Ulrajectum rediens, à Pippino illic Episcopalis cathedras locum accepit, & templum non admodum magnum in sanctæ Crucis honorem ædificavit, in quo etiam primum Christiani lavaci fontem sacravit. Postea e[st] loci quo Divi Thomæ Apostoli templum à Danis Nortmannisq. eversum fuerat, non procul ab arce VViltaburgo (quam Ulrajectum Gallicè dictam Beda testatur,) templum aliud ædificandum curavit, & centum coenobitas integræ vitae, ut divino cultui insisterent assidui, congregavit: voluitque hoc templum primum & caput sua esse Dioecesis. Tandem, quum magna vita sanctitate quadraginta annis Ulrajectina Ecclesia præfuisse, vita functus, Divorum numero adscriptus est.

BONIFACIVS.  
11.

Bonifacius post VVillibrordi Clementis mortem Ulrajectina Ecclesia curam suscepit, virtutibus clarus, Euangelica

gelicadōtrina instructissimus. Præfuit annis decem & sex: qui impiorum Frisiorum gladiis, in oppido quod Docum vulgò dicitur, cum quinquaginta sociis Christiana religionis præconibus occisus, Martyrij & nomen & gloriam adeptus est.

III.

## GREGORIVS

**G**regorius, à Bonifacio sanctissimo Præfule (qui & Magistru[m] Ecclesiæ Archiepiscopus fuerat) Ultrajectino populo in Episcopum ordinatus, quæ in opere Euangelico D. VII librorū s & Bonifacius incepérant, impigre perfecit: & plenus bonis operibus d'ēm extreum clausit. Ultrajecti in templo quod Iesu Salvatori sacrum est sepultus.

III.

## ADEBERTVS, aliâs ADELBRICVS

**A**Debertus, vitæ morum q[uo]d in integritate clarus, post Gregorium Ultrajectinust p[ri]ncipem non paucis annis fuit: & per temporariam hanc mortem, laudabili fine, immortalem vitam consecutus est.

V.

## THEODARDVS

**T**heodardus mortuo Adelberto, plaudentibus cunctis, Episcopalem cathedram concendit, & a priorum Episcoporum sanctitate non degenerans, tandem ex hac lacrymarum valle, ad luperorum gaudia pius Pastor migravit.

VI.

## HARMACARIUS

**H**armacarius sextus Ultrajectinorum Antistes, vir sanctus ita que per omnia laudabilis, postquam Euangelice doctrinæ semina in acri cordium suorum subditorum diligenter aliquot annis seminasset, Christo animam reddidit.

R IX.

## R IXFRIDVS

VII.

**R**ixfridus, Deo devotus, summus Christianæ puritatis animator, sacrorum eloquiorum concionator facundissimus, mortuo Harmacario Episcopo, Utrechtini gregis Pastor electus est; cui quum annis non paucis æternæ vita pabula administrasset, plenus bonorum operum, mortem immortalitate commutavit.

## F RIDERICVS, I

VIII.

**F**ridericus Christianæ Religionis pius professor, sanctorum Synodalium decretorum observansissimus, Rixfrido in Episcopatu successit. Hic quia Ludovico Augusto, propter Augusta, quæ ei sanguine conjunctior erat quam ut sanctorum Patrum decreta sinerent eam esse conjugem, molestior erat, missis duobus sicariis, in templi Iesu Salvatoris crypta, in effectus est: & post non multos dies inter Divos Martyres relatus.

## A LFRIDVS, aliâs A LFRICVS

IX.

**P**ost gloriosam Friderici mortem, Alfridus & suo & fratribus sui D. Friderici merito Traiectinus Praeful factus, sanctissimi fratris vestigiis in iste, quum populum sibi commissum aliquamdiu sollicitè rexisset, defunctus apud fratrem sepelitur in sancti Salvatoris crypta.

## L V T G E R V S

X.

**L**vgerus, inculpatæ viræ vir, sancto Friderico Martyri, dum viveret, admodum familiaris, fratriq; ejus Alfrido Antistiti non mediocriter dilectus, in Utrechtinum Episcopū etiam renitens, evectus, Euangelica doctrina & optimo exemplo plebem suam pascens, post multa bona opera mortuus, apud D. Fridericum, quem vivens uincere coluerat, reconditus est.

HVNCE-

xii.

## H V N G E R V S.

**H**Vngerus undecimus à plebe Trajectina Präful electus, morum probitate omnibus charus, vita coram Deo & hominibus laudabiliter peracta, ad cælestia regna migravit.

xiii.

## O D I L B A L D V S.

**O**Dilbaldum Hungeris successorem sortitus est; de quo multa laude digna feruntur. Sed à sæculi sui scriptoribus admodum pauca literis commendata sunt.

xiii.

## A E G I L B O L D V S.

**A**Egilboldus, Odilbaldo mortuo, Antistes ordinatus, quæ decem mensibus venerabilis Pastor Ecclesie suæ præfuerit, ad superos migravit.

xiv.

## R A D B O D V S.

**R**Adbodus, vir nobilis, humanarum sacrarumque literarum non mediocriter peritus, omnium suffragiis Episcopus Trajectinus ordinatur. Mortuus tandem, post quam decem & septem annis Episcopi munere functus esset. Sanctorum numero adscriptus, Daventriam (Emporium hanc ignobile,) corpore suo in D. Lebuini templo recondito, clariorum reddit.

xv.

## B A L D R I C V S.

**B**Aldricus ex Clivorum Principibus omnium sacerdolorum memoria dignissimus, Divo Radbodo vita functo, faveente acclamanteque universa plebe, Pontificiam cathedram optimus Präful concendit. Is Pontifex piissimus corpora sanctorum Agnetis virginis & Martyris, Pontiani, & Benigni ex urbe Roma Trajectum advexit. Corporaque sanctorum Confes-

Confessorum D. Radbodi Episcopi, & beatiissimi Lebuini presbyteri Daventriæ, beati VVerenfridi in superiorum Bavariorum pago qui Elsta vulgo dicitur, S. Plechelmi apud Oldensalam oppidum, Adolphi, VVironis, & Otgeri, e se-pulchris levavit, & honorificentioribus locis recondidit. Civitatem quoque Trajectinam, à Danis Nortmannisque devastatam ac dirutam, rursus muro circumdedit. Præfuit clavisimus hic Antistes annis quinquaginta novem, & plenus dierum ex hac mortali vita ad æternam transiit.

## VOLCMARVS.

XVI.

**V**olcmarus Christianæ pacis amator præcipuus, decimus sextus Ultrajectinorum Episcopus, Euangelica prædicatione vitaque insignis, post laudabilem vitam immortali donatus est.

## BALDVINVS, I.

XVII.

**B**aldinus Volcmaro successit; de quo, & injuria temporū & scriptorum ignavia, nihil præter nomen ex Chronicis Sigeberti legitur.

## ANSFRIDVS.

XVIII.

**A**nsfridus, qui quum fuisset Comes Bratusbantium non minus iustitia quam potentia sæculari famosus, deposito militiæ cingulo, tonsuratus in clericum, eò proiectus est, ut post Balduini mortem Pontificatum Ultrajectinæ Ecclesiæ adeptus sit. Primus Ecclesiam suam opibus ornare (an onerare rectius dixerim nescio) cœpit. Nam quum ante Pontificatus suscepit honorem ditissimus nobilissimusque Theysterbandorum Comes esset, factus Episcopus diuinam suam Ecclesiæ sua liberalis admodum Princeps contulit. Construxit etiam non procul ab Amersfordia oppido Cœnobium ordinis D. Benedicti, quod Montem sanctum appellant, & tan-

dd

dem

XIX.

## ADELBOLDVS.

**A**Delboldus, scientia literarum insignis, sublato ex hac via Ansfrido, Episcopus consecratus, opulentiorque factus Dominicum summum (vt vulgo dicimus) templum jamiam collabescens dirui jussit, ac novum ædificari; ad quod consecrandum Henricus Imperator Augustus cum duodecim Episcopis venit. Hic magnificus Antiltes volente Augusto Henrico, qui tum Trajeti erat, convocari jussit maiores ditionis suæ Principes: inter quos primi erant Brabantorum Dux, Dapifer (vt dicunt) Ultrajectini Episcopi: Geldriorum Princeps, Venator: Holtlandorum Comes, Magister Equitum: Comes Bentheimius, Ianitor: Comes Cuikenensis, Pincerna: Comes Goranus, Ab armis. Tanta tum erat Episcopi Ultrajectini auctoritas & potestas. Scriptus hic Antistes vitam Henrici Imperatoris Augusti. Post hujus mortem, Trajectinorum Präsum vita admodum mutari cœpit.

xx.

## BARNULPHVS.

**A**Delboldo mortuo, ingens de eligendo Episcopo orta est dissensio, ita vt Conrado Augusto, qui his diebus Trajetum advenerat, electionis jus deferretur. Quumque Augustus solicite cogitaret, cui nam dignè Ecclesia Ultrajectina, jam opibus quoque prædives, committi posset: quidam honesti nominis Presbyter Barnulphus forte fortuna supervenit, qui Augustam pulcherrimum domi suæ filium peperisse nunciat. Exhilaratus hoc nuncio Augustus, Barnulpho in euangelium vitæque probata præmium Ultrajectinam commendavit Ecclesiam; quam sumpto Pontificatus honore, vita, sacrificisque ædificiis ornare non destitit. Ædificavit Trajecti templo Sanctorum Petri Apostoli, & Ioannis Baptista.

**Ita.** Ex Collegio quoque Sancti Salvatoris viros laudabili<sup>s</sup> vita Daventriam misit ad templum quod Divi Lebuino exstruxerat, ut in eo die noctiue divinis vacarent laudibus, Transtulit & Monachos Sacri Montis Trajectum, eisque templum in D. Pauli honorem ædificavit. Obiit postquam ministrasset gregi suo viginti quinque annis.

## G V L I E L M V S, I.

xxi.

**G**Vlielmus, VVindekindi Geldriorum Principis filius, Barnulpho vita functo, Ecclesiæ Trajectinae præfuit annis ferè viginti duobus.

## C O N R A D V S.

xxii.

**C**onradus vicesimus secundus Ultrajectinus Episcopus electus, magno sumptu ædificavit templum Divæ semper-Virginis Dei genitricis Mariæ. Interfectus à latomo quodam Frisio, sepultus est in templo quod extruendum curaverat.

## B V R C H A R D V S.

xxiii.

**B**Erhardus Conrado successit, præfuit Ecclesiæ sue annis quatuordecim.

## G O D E B A L D V S.

xxiv.

**G**odebaldus, defuncto Buchardo, vnamini suffragio electus in Antistite, duo Cœnobia ordinis D. Benedicti extruxit: unum Monachorū, in honorē D. Laurentij Martyris, quod vulgo Goesthoerk dicitur: alterum Sanctimonialium, in honorem semper-Virginis Dei genitricis Mariæ, quod in hodiernum usque diem Ad nostram Dominam dicitur. Hic, postquam quindecim annis Episcopus Trajectinus fuisset, vi-

ta functus in habitu monachico in Oestbrocka sepultus est.

xxv.

## ANDREAS.

**A**ndreas, paternum genus ex nobili Cuickenium Comitum familia ducens, Godebaldi in Pontificatu successor, rexit Ecclesiam suam annis vndeclim.

xxvi.

## HERBERTVS.

**H**erbertus post Andream Præsul consecratus, nonnihil bellici tumultus ab Holtlandorum Principe passus, humilitate & religione magis quam armis vicit, atque ex hoste perniciose fidum amicum fecit. Præfuit annis duodecim.

xxvii.

## HERMANNVS.

**H**ermannus, postquam Herbertus è vivis discessisset, non sine dissensione in Episcopum electus est. Sub hoc Antistite civitas Ultrajectina, civilis concordia olim observantissima, in exitiales divisa est factiones. Hermannus, peractis in Pontificio munere annis paulo minus sex, extremum diem obiit.

xxviii.

## GODEFRIDVS.

**G**odefroidus Rhenensis, generis nobilitate divitiisque clerus, Archidiaconus Ultrajectinus, mortuo Hermanno, Episcopus ordinatus, nihil antiquius habuit quam ditionem suam, quæ tum vicinorum Principum armis lacesci cœperat, arcibus munire. Extruxit itaque arces fortissimas quatuor: Vollenhoam, adversus Frisorum imperus: Horstam, contra Geldriorum Batavorumq. incursum: Montfordiam & VVordam, ad Holtlandos arcendos. Hic tam opulentus & potens Antistes, duodecim annis in Pontifica dignitate peractis, aeterna nominis sui monumenta posteris relinquens vitam finivit,

E P I S C O P . T R A I C T E N S .  
nivit, anno millesimo centesimo septuagesimo octavo.

129

B A L D V I N V S , I I .

xxix.

B Alduinus, Holtlandorum Comitis filius, nobilitatem generis virtutibus æquans, defuncto Godefrido, Episcopus electus annis decem & octo præfuit: variis tandem bellorum tumultibus laceratus è vivis excessit.

A R N O L D V S . T H E O D E R I C V S , I .

xxx.

B Alduino mortuo, non mediocris super eligendo Episcopo seditio orta est. Holtlandorum enim princeps Theodericum Ultrajectinæ Ecclesiæ Archidiaconum nitebatur in Pontificalia sede collocare. Contrà Geldiorum Dux & Transiliani Theoderico præferabant Arnoldum Isenburgium, virum & genere & moribus clarum. Verùm vt hæc dissensio saporetur, uterque competitorum Romanam ad summum Pontificem profectus est, & Arnoldus Isenburgius ab Innocentio urbis Romæ Episcopo tricesimus Ultrajectinæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur; quo intra paucos dies defuncto, Theodericus in mortui locum suffectus, dum in patriam redditum parat mortuus, Venetiis sepultura traditus est.

xxxii.

T H E O D E R I C V S , I I .

xxxiii.

T heodericus Arensis, pacatis duorum Antistitum morte factionibus, concordi omnium voto Trajectinæ Ecclesiæ præficitur, quam annis tredecim laudabiliter rexit.

xxxiv.

O T H O , I .

O Tho, illustri Geldiorum Principum prosapia genitus, post Theoderici mortem tricesimus tertius Episcopus dd 3 designa-

designatus, gregi suo quatuor annis præfuit. Defunctus, in summo Divi Martini templo sepelitur anno Domini millesimo ducentesimo quinto.

XXXIV.

## OTHO, II.

**O**Tho, Lippianus Comes, Geldrio Othoni successor fuit. Hic in bello contra Drenthianos, non procul ab urbe Covordia, miserè ab indomita gente interfactus est. Præsedit autem in Pontificia cathedra annis viginti.

XXXV.

## WILLIBRANDVS.

**I**nfecto Lippiano, electus est in Ultrajectinum Presulem Willibrandus Oldenburgius. Hic sancto Servatio Ultrajecti templū exirxit, & peractis in Episcopali dignitate annis octo, moritur anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo tertio.

XXXVI.

## OTHO, III.

**O**Tho, Holtandorum Principis filius, acclamantibus favetibusque omnibus, ad Pontificiam celsitudinem pervenit; in qua quum annis sedecim vixisset, defunctus, magnum sui desiderium reliquit.

XXXVII.

## GOSSWINVS.

**G**osswinus Amstellanus, vir dives & nobilis, Othoni succedit, & intra annum Episcopatu se abdicavit.

XXXIX.

## HENRICVS, I.

**Q**uam Gosswinus se (ut diximus) abdicasset, electus est in Episcopū Henricus Viandensis Comitis filius. Is quum infectos haberet Heroes aliquot, quorum Princeps erat Dominus. (ita dici coepit) Amstellanus, aggressus eos fortiter, devicit, ac captivos Ultrajectum adduxit. Hac victoria ita di-  
tatus

fatus est Antistes, ut pulcherrimi operis arcem, quam pacis nomine Vrelandiam vocant, adificaverit. Obiit Pontificatus sui anno vicesimo quinto.

## IOANNES, I.

XXXIX.

Ioannes Nassovius, clarissima natus familia, in Episcopum electus, confirmationem (ita ajunt) à Papa Romano ob literarum imperitiam obtinere non potuit. Praefuit nihilominus invito Romano Pontifice ditioni Ultrajectinae annis uno & viginti, quā magno adfecit incommodo. Nam arces aliquot, inter quas Vrelandia erat, Antistitis Henrici Viändensis opus, vicinis Principibus impignoravit. Quare non solum à suis, verū etiam à Pontifice Romano electioni cedere vel invitus cogitur.

## IOANNES, II.

XL.

Ioannes Zirichensis, nobili apud Lotharingios familia clerus, in Nassovij locum electus, quum Episcopatum Trajensem novem annis gubernasset, electus est in Episcopum Tullenensem.

## GULIELMVS, II.

XLII.

In Ioannis locum Gulielmus, è Machliniensium Heroum stemmate natus, suffectus, Ultrajecti ab adversis sibi factiosis principibus annum carceri mancipatus, libertati tandem restitutus, quum negligentius in bello quodam ageret, in loco quem vulgo Hoghenverdam vocat imperfectus est. Gessit autem Episcopi & nomen & dignitatem annis quinque.

## GUIDO.

XLIII.

Gvido Hannonius Gulielmo in Pontificio munere succedens, arces tres, Dullenburgum, Stoutenburgum, Goram

ram ædificavit. Defuncto hoc Præsule, Holtlandorum Princeps ditionem Amstellanam, & VVordam arcē, numquam interitum Godefridi Rhenensis opus, occupavit. Moritur anno Pontificatus sui decimo sexto.

## XLIII.

## FRIDERICVS, II.

**F**Ridericus Ziricensis Guidoni successor. Is, quum quinque annis Ultrajectinus fuisset Episcopus, mortuus est anno millesimo quadringentesimo vicesimo secundo. Sub hoc Antistite turris illa nominatissima, Beatissimo Martino sacra, ædificari coepit.

## XLIV.

## IACOBVS.

**I**acobus ab Oesthorne Friderici successor in Episcopatu fuit, & vix annum, morte præventus, gregi suo præfuit.

## XLV.

## IOANNES, III.

**I**oannes Distensis, mortuo Iacobo, Pontificium culmē descendens, multis damnis ditionē suam adfecit. Holtlandorū enim Principi Vrelandiam, Geldriorum Duci Vollenhoam & non cōtemnendam Trans-Isulanæ ditionis partem pignori tradidit. Præposuerat etiam ditioni suę sex Tutores (ita nominabantur) qui privata commoda publicis preferentes arces duas Stoutenburgum & Horstam alieni juris fecerunt. Obiit ære alieno admodum gravatus, Pontificatus sui anno decimo octavo.

## XLVI.

## NICOLAVS.

**N**icolaus Caputius, à Papa Romano Antistes Ultrajectinus designatus, Episcopatu volens cessit.

## XLVII.

## IOANNES, IIII.

**I**oannes, ex vetustissima longeque clarissima Herculano rum Principum familia genus ducens, cedente Nicolao Caputio,

putio, Nobili Romano, Pontifex ordinatus, quum ditionem suam in integrum restituere conaretur, multa cum vicinis Principibus, suæ etiam ditionis aliquot Equestris ordinis vi- ris, bella varia fortuna gessit. Ad eum que statum res suæ deve- nerunt, ut relicta ditione quibusdam Nobilibus viris tuenda, ipse Romanam profectus, paulò post triennium ibidem mora- tur. Inde rediens partim vi, partim æquis conditionibus, ar- ces pignori datas sibi rursus subjecit. Perduelles aut jussa face- re, aut ditionem suam egredi coëgit. His magno animo per- actis, electus est in Leodiensi Antistitem. Mortui verò corpus Trajecti in D. Martini templo sepultum est.

## IOANNES, V.

XLIX.

Ioannes Vernenburgensis, qui Monasteriensis Episcopus fuerat, Ecclesiæ Ultrajectinæ præficitur; qui quum nullo alieno ære gravatam assecutus esset ditionem, ab hostibus suis in Gora oppido captus, vix tandem datis scutatorum decem & sex millibus liberati restitutus, arces suas jam liberas rur- sus impignorare coactus est. Vixit in Episcopatu Ultrajectino annis septem.

## ARNOLDVS.

XLIX.

DEfuncto Ioanne Præfule, Arnoldus, filius illustris Comi- tis Hornensis, electus est in Antistitem. Hic, adjuvanti- bus suæ ditionis oppidis, æs alienum quo Episcopatus grava- batur exolvere cœpit. Et postquam septem annis Ultrajecti- nus Episcopus fuisset, Leodiensi Pontifex factus est.

## FLORENTIVS.

L.

Florentius VVevelichovius post Hornensem Ultrajecti- nus Episcopus electus, non nihil molestia ab Hornensi pertulit. Volebat enim Hornensis viriusque Episcopatus opes invadere. Sed id frustra attentatum est. Florentius enim

cc

vir

vir prudens, tam improbis conatibus facile restitit, & ditionem suam strenue quatuordecim annis gubernavit.

L I.

## FRIDERICVS. III.

F Ridericum nobilem Blanckenhemiorum Comitem Florentius successorem habuit. Hic non pauca praeterea memoriae digna gessit, quæ in suæ aetatis Chronicis Germanica Latinaque lingua memoria tradita sunt. Et quia nos indicem non Historiam scribimus, multa consulto præterivimus. Episcopatus sui anno tricesimo defunctus, Ultrajecti in D. Martini templo sepultus est.

Huc usque Indicem hunc ex Germanico Latinum fecimus. Quæ sequuntur nos bona fide adiecimus.

L II.  
L III.

## RODOLPHVS. SVEDERVVS.

F Riderico è vivis sublato, ingens ora est discordia, duobus potentissimis competitoribus, Rodolpho Diepholdio, & V Valravo Morsano, antiquæ Nobilitatis Principibus, Episcopatum Ultrajectinum ambientibus. Major Ultrajectinæ divisionis pars, & in his Trans Isulani, Diepholdio favebat. Reliqui Morsano adhaerebat. Utique ad Romanum Pontificem pro confirmatione (sita dicunt) misit. Vtique negata. Trans Isulani nihilominus Diepholdium in Principem receperunt. Datus est Episcopatus à Pontifice Romano Episcopo Spirensi. s. missis A Consiliis Ultrajectum, explorari iussit, an sine bello, sine caede, recipi possit. A Consiliis Spirensis Antistititis, quum omnia tumultibus factionibusque plena Trajecti comperserent, Spiram reversi, quid videant Episcopo suo nunciant. Qui desperans se Episcopatum sine caede & sanguine adipisci posse, literas ad Pontificem Maximum dedidit, orans ut Suedero Culenburgio, Archidiacono Trajano

etino, nota apud eos nobilitatis viro, Episcopatum, quæ ipse  
assequi non poterat, conferret. Quod Pontifex Maximus lu-  
bens fecit. Quare Culenburgius à Traiectino populo plausi-  
bilter in Episcopum suscepis, quum vix annum Traiecti  
fuisse, ab adversæ factionis civibus Traiectū relinquere co-  
gitur, Diepholdiusque in Antistitem recipitur. Hinc cruenta  
cœpere inter utramque factionem bella, rapinæ, incendia, ce-  
des. Interea contra Diepholdianos Pontifex Maximus ex-  
communicationes, fulmina, ac tonitrua sua emisit. Quæ  
quum viri bellatores & in armis educati non magni facarent,  
missus est à Pontifice Romano ad Traiectinam Ecclesiam  
Ioannes Episcopus Matiseonensis, vir prudens & speculatoræ  
industriæ, ut perniciosissimā hanc dissensionē sopiret. Quod  
& pro viribus fecit. Excommunicatos enim absolvit. Diephol-  
dio, quia id Reipublicæ expedire viderat, confirmationem im-  
petravit. Qua accepta, Diepholdius ab omni ferè Ultraiectinę  
ditionis populo in Antistitē suscipitur, reclamante licet Culen-  
burgio, cum aliquot Canonicis qui ei adhærebant Culen-  
burgius tandem ad Basiliensem Synodus prefeclus, nihil  
contra Diepholdium non agens, mortuus est. Canonici verò  
qui eum sequebantur, V Valtravum Morsanum (cujus supra  
meminimus) in Episcopum elegerūt, qui à Synodi Basilién-  
sis primoribus confirmationem obtinuit. Verum ea postea à  
Pontifice Maximo cum omnibus Synodi actis abrogata est.  
Tum Diepholdius Princeps verè magnanimus, verè magni-  
ficus, arces ditionis suæ collapsas redificare cœpit, arcemque  
Lagam munitissimam à fundamentis extruxit. Dorestatum  
& Abcoudam Episcopatui adjecit, & in omnibus ditionis suæ  
arcibus, æterna magnificentia suæ monumenta reliquit. De-  
cessit in arce Vollenhoia, aliquot horis priusquam moretur,  
omni suppellectuli aurea & argentea, à familia sua spoliatus,  
& desertus, &c. Pontificatus sui anno vicesimo quarto, Traje-  
cti in D. Martini templo reconditus.

LIV.  
LV.

## GISBERTVS. DAVID.

**D**iepholdio defuncto, Gisbertus è Bredenrodanorum Heroum clarissimo stemmate ortus, Archidiaconus VI trajectinus, in Praesulem electus est. Id quum ab adversæ factionis hominibus Philippo potentissimo Burgundionum Duci indicatū esset, sagacissimus Princeps factiones in Hollandia nondum abolitas considerans, & Bredenrodanoru[m] factiōnēm potentiamque suspectam habens, ut tam suis quām Trajectinæ factiōnis consuleret, à Romano Pontifice obtinuit ne Episcopus designatus confirmationem acciperet, & ad Reipublicæ suæ commodum & pacem Episcopatus Trajectensis optimo Præsuli Morinensi Domino Davidi filio suo conserre iur. Quem potentissimus Dux vñā cum Carolo filio (qui poste à ob rerum gestarum magnitudinem Magnus Burgundionum Dux nominatus est) Trajectum introduxit, Bredenrodanoq. sub certis conditionibus cedente, in Pontificia sede collocavit: totamque Ditionem, licet non sine armis, intra paucos dies Davidi filio subjecit. Itaque Episcopus David, ea quæ Diepholdius in arcibus imperfecta reliquerat, perfecit, & multa iis addidit. Dorestatī novam arcem ædificare coepit, sumptuosissimum Diepholdo monumentum Trajecti extruxit; vir Pontificio munere sine contradictione dignissimus. In pauperes misericors, studiosorum doctorumque virorum Mecœnas liberalissimus; religionis sacramque ædium amator præcipuus: quod tot templis collata dona pretiosissima testantur. Hic tamen talis Pontifex (quoniam meliorem quis optare potuisset) a factiosis quibusdam non sine vita periculo ignominiosè aliquamdiu captus, libertati tandem per D. Maximilianum Augustum restitutus, injuriatum immemor, Episcopatu[m] suum pacificè rexit. Mortuus est plenus dierū, anno Pontificatus sui tricesimo nono, & in templo D. Ioannis Baptiste juxta Dorestatum sepelitur.

F R I

## FRIDERICVS, IV.

LVI.

Fridericus, paternam originem ab illustrissimis Marchionibus Badensibus ducens, maternum vero genus ex Austriae Principibus cum tot Augustis coniunctum habens, post optimi presulnis David mortem, concordibus Trajectinorum Canonicorum suffragiis Episcopus electus, summa omnium expectatione suscipitur. His variis bellorum tumultibus, factionibusque fatigatus, quem viginti duobus annis Ditio- nem suam gubernasset, morbis senioque confectus, & sibi & Ecclesiae sua consilens, clarissimi Principi Philippo a Bur- gundia Episcopatum cessit. Lyræ, Brabantæ oppido, diem extremum clausit. Sepultus Badis in patrio sepulchro.

## PHILIPPVS.

LVII.

Philipus à Burgundia, Divi Maximiliani Imperatoris, & Caroli nepotis ejus, tum Hispaniarum Regis, auctoritate adactus potius quam tale aliquid ambiens, Episcopus & Princeps Ultrajectinus honorificè inauguratus est. Nihil ab inito pontificatu antiquius habuit, quam in omnibus fratre suum Davidem imitari, pacificè (quantum per factiosos quosdam licuit) praesesse, arces collabantes restaurare. Hujus Viram quia peculiari libello scripsimus, hic non opus est repetere. Praefuit annis sex, mensibus undecim, diebus quatuordecim. Obiit Dorestati, anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto, septima die April. etatis anno quinquagesimo nono.

## HENRICVS, II.

LXIX.

Henricus, Philippi Comitis Palatini Electoris, &c. filius, magno nobilitatis ac civium Ultrajectinorum gudio, Philippo successit. Verum quem laceratam à Geldrio Ditio- nem suam æquis & iniquis conditionibus resarcire studeret, parumque promoveret, tandem bello suis succurrere coactus,

vbi animadvertisit omnia plena factionibus, tumultibus, prodictionibus, Ditionem suam Carolo Augusto cessit: tranquilitatique tam suæ quam suorum consulturus, in primam Germaniam rediit.

*Ad Episcopos Traiectenses nova Appendix.*

LIX.

GVLIELMVS ENCKVORTIVS, III.

**H**ENRICUS BAVARUS, ut supra dictum est, Ditionem suam invictissimo Imperatori Carolo Quinto cessit, anno M D XXVII, post quinum Præsulatus sui annum. Atque ita Episcopatus Traiectensis in Provincia formam redactus est. Post hunc Ecclesiæ præfектus Gulielmus Enckvortius, patria Brabantus, Cardinalis & Pontifex Dortusanus. Sed hic Iacobo Vienengio Vicario instituto, Romæ semper mansit: inibique obiit anno M D XXXIII.

LX.

GEORGIVS EGMONDANVS.

**E**NCKVORTIO rebus humanis exempto suffectus ei Georgius Egmondanus Ioannis Comitis Egmondani filius, Hochvvouda & Aerisvvouda Dominus, itemque Antistes Divi Amandi. Obiit anno M D LIX, vi Kal. Octobris, quum præfuissest annos viginti quinque.

LXI.

FRIDERICVS TAVTENBERGENSIS, V.

**A**B Egmondani excessu, factus est Ecclesiæ Traiectensis Antistes Fridericus Schenck ex Baronibus a Tautenberg ilustris Consilij Spirentis Præfes. Sedit, quantum per civile Belium Belgicum licuit, annis circiter novemdecim. Obiitque anno M D LXXX, Kal. Septembbris. Ad D. Martini sepultus.

FINIS.

*Dominice correctioni.*  
De *vrbis ULTRAIECTI* situ, origine, populi mo-  
ribus, Religionis initius, Episcopis, &c.

DISSERTATIO  
LAMBERTI HORTENSII,

Ex Rerum Ultrajectinarum lib. I.

Non beasi non transferri-  
- uers uers ver Utra-  
chinas ser -  
debent omitti

**V**erbis ULTRAJECTVM ad ostium Rheni in ripa sua est. Rhenum autem ipsum olim longè aliis alveis, quam hodie, in Oceanum descendisse constat: id quod vadi partim vestigia, partim regionum quatundam vestita monumenta nomenclaturæque palam arguunt. Initio enim non Leccæ ripis mare intrabat, sed ad Dorestatum anfractuoso cursu in diversum abiens Ultrajectum alluebat. Inde reflexo in Occidentē amne, V Voerdam & Leydam, Hollandorum nunc oppida, sinuoso divortio præterlabens, ad Catvicam vetustam Cattorum coloniam in Oceanum vasto gurgite fundebatur. Manet Catvicæ ad Rhenum etiamnum Catwijk  
op deu  
Rhijn. hodie incolume suum nomen. Argumenta exstant istarum rerum non obscura. Nam unde ab Ameronga Ultrajectum iter verit, videre est adhuc pascua, quæ, flumine intumescente, inter eminentiores aggeres, profunduntur, quibus tum amnis excursus prohibebatur: ut adhuc fundum celeberrimi amnis agnoscas. Rivulo autem, qui nunc per eandem regionem tenuibus ripis Ultrajectum cursu petat, veteris Rheni appellatio manet: perinde ut, ubi se inde reflextens, ad ipsum Oceanum usque, secum vetus nomen trahit. Qued autem ostium ad urbem fecit, mercibus secundo Reno importandis evehendisque celebre, manifesta exstant vestigia. Portæ, quæ urbem intrabat ad Meridiem, à telonio Publicanorum, à qui De Col-  
lestreech-  
poort. bus merces accidebantur, durat suum vocabulum. In Septen- triionali

trionali urbis regione, ad Divi Ioannis Aedem, ubi Forum cuperiarium nunc est, vetusta stationis nomen atque ostij existat, quod patro sermone *Hijmthens haven* dicitur: ubi ante aliquot annos, in effossis veterum aedificiorum fundamentis, putria naviū tabulata, anchorae, remi, navaliaque omne genus inventa fuere. Argumento quoque est tota ea regio, ubi Aedes D. Martino Tutelari dedicata est, quę duodecim cubitos, à reliqua in dorso, ad Forum piscarum, planitie eminentior, navalis stationis speciem monstrat. Nostra autē memoria, quom in eodem coemiterio, contra Septentrioiales primariae Aedis fores, Decanus Ludolphus minantia vetustate aedium suarū aedificia à fundamentis restaurare vellet, terramque, quā prius fuisset, altius moliretur, repertus lembus visendae antiquitatis, yrceolis fistilibus oneratus, spectanibus admirationi fuit. Secundūm Divi Iacobi templum ab arenoso refluxi fluminis vado, appellationem locus quoque servat, het *Sant-Ceterūm* burgam, Viennam, Schoonhoviam præterfluens vasto alveo contra Insulam Dordracenam mare ingreditur, olim modicus admodum tenui aqua rivulus ē Rheno emanabat: vnde Germanico idiomate, infra VVikam, ab emanando Lecca

**Dort-  
sche  
Werd.** De Lech. incipit appellari. Verum temporum injuria, ipsius Rheni faucibus desiccatis, ejusque ostio harenæ aggere ad Catvicam præcluso, viam violenta strage per Leccam in mare cum nonominis jaQura fecit. De Civitatis autem origine tam diversa produntur, vt difficile sit, in tanta vetustatis caligine, aliquid pro vero astruere. Tradam ea quæ ex Tablinis Ultrajectinæ Basilicæ accepi. Sunt qui à Gigantibus eam conditam, habitaramque ferant. Nonnullis placet, sub Nerone Principe cœpisse, nomenque illi ANTONINAM factum, ab ANTONIO quodam, qui ejus Tyrannidem fugiens hanc exilij sedem delegerit. Sed quum apud Scriptores hujus Antonij nusquam omnino vel tenuis (quod sciam) mentio sit, pro vano id

**Ultraje-  
ctum,  
olim An-  
to inna-  
dicta.**

id & fabuloſo repudiandum duco. Quamquam non ignoror,  
 L. Antonij cujusdā Germaniæ, sed superioris, Praefidis Sex-  
 tum Aurelium in vita Domitiani meminisse. Apud omnes  
 tamē conſtat, ab initio eam ANTONINAM fuſſe appellatā.  
 Vero igitur propius est, ab ANTONIO Triumviro, qui Cæ-  
 ſaris omnibus, in Galliis & Germania, expeditionibus inter-  
 fuit, vrbi nomen inditum; qui oppida & arces alias etiam ſui  
 nominis conſiderit. Iſum tamen locum, cum ob ſoli vber-  
 tatem, reiq. frumentariæ copiam, tum propter ſitum, ad mer-  
 ces in Oceani Insulas & Celticam ſecundo Rheno pervehen-  
 das, jam ſub Iulij Cæſaris in Germaniam trajectum, inter  
 Barbaros veriſimile eſt mercatu celebrem fuſſe. Vnde Cattis  
 & VViltis magno inter ſe longoq. bello de loci imperio de-  
 certantibus, quum ad extrellum illis in Oceani littus pulſis,  
 VVILTI obtinerent, Praefidium VVILTE NBYRGVM in ripa  
 vltiori, colle edito (noſtra tempeſtate fundatorū rude-  
 ra adhuc videmus) poſuerunt. Sed Romani, deviſta præliis  
 vtrō citroque Germania, quum multas paſſim munitiones  
 contra rebellionem ſupra & infra in ripa Rheni ad ejus tute-  
 lam locaſſent, hīc quoque ſtati, adverſus Barbarorū vim, in  
 ipſo penē fluminis alveo munitiſſimum Pçrſidium, vbi nunc  
 Pauliniānorū Sodaliū Coenobium eſt, exſtruixerunt. Ei  
 regioni vrbis, & ponti in quem excurrit, nomen a civibus  
 Romanis adhuc durat. Tum autem & alij, qui huic ad Sep-  
 tentriōnem proximus, & viae, à caſtris praefidiariorū mili-  
 tum, qui ad omnem vim Arci tuendā ibi depositi fuerant, re-  
 manet vocabulum. Mansit vrbi nomen ANTONINA diu in-  
 tegrum. Sed vt nihil in rebus humanis eſt perpetuum, nomē  
 poſtea mutatum eſt: ſed quo calū, aut quo auctore, video pa-  
 rum inter hujus vrbis antiquitatis investigatores bene con-  
 venire. Uſus TRAIECTVM obtinuit. Beda Gallica lingua  
 ſic appellatam eſſe prodiſ. Invenio apud Ammianum in Iu-  
 liano VTRICESIUM: quaē vox ad Germanicam appellatio-

Die Ro-  
menburg  
bzug.

Die  
Gaerdt-  
bzugh.

Utrecht.

ff nem

nem proprius alludit. Nec desunt, qui opinentur ab VLPPIO TRAIANO ductum nomen: quem constat tum Germaniae praeuisse, quum absens Roma a Nerva adoptaretur. Restituit enim Barbarorum clade labefactas aliquot ultra Iselam civitates, condiditque sui nominis in ejusdem ripa Arces aliquot: qua conjectura existimant factum, quod, priori nomine exoleto, VLPTRAIECTVM nuncuparit. Longè autem diversa est eorum sententia, qui pro vero affirmare contendunt a VVILTIIS, qui Selanorū opibus & virtute freti urbem (strato in vltiori ripa Præsidio) invasere, VVILTRAIECTVM nomen factum. Sed & Gerardus Noviomagus, tum clarus, tum disertus Batavarum rerum Scriptor, in vetustissimis co-

<sup>a</sup> Ultra-  
jectum  
diserte a-  
pud Sige-  
bertam, ex  
autographo  
ipso (ut  
credunt)  
nuper ab  
Auberto  
Mireo ex-  
pressum, &c.  
gitur.

dicibus, ante annos sexcentos exaratis, <sup>a</sup>VILTRAIECTVM se scriptum reperisse tradit: tum autem & VLTTRAIECTVM. Quia equidem appellatione ego deinceps vel hoc nomine libenterius sum vsurus, quod a re ita vocatam existimem. Nam quum ostium Rheni mercatorum frequentia esset nobile, compedium in Gallias & objectas Oceani Insulas, prono alveo inde solventibus trajectus cursusque patebat: qui postea in Leccæ ripam miliare ab urbe submotus, pristinum vocabulum & usum retinet. Ceterum quum ex Casaris divisione, annis Rhenus Gallias a Germania disterneret; ita vt vltior lœva ripa, Gallicæ; dextera citerior, Germanica ditionis juris que essent, in confessu est hodie (nam per id tempus duobus tantum brachiis in Oceanum effundebatur, nec Isela omnino, aut certè obscurus rivulus erat: vt mirer, cur quidam au- finit hunc & scripto & pictura Regnorum disternantorem constituere) Rhenum inter VVahalim & Iselam labentem, usque ad Oceanum, utramque gentem distinguere: tametsi suos Germani jam olim limites transgressi, magnam Galliæ partem Reno finitimam occuparent. Itaque Ultrajectum in Germanico solo ab initio conditum fuit. Quod autem Scriptores inter se digradientur, ulro ad Gallorumne an Fri- siorum

sitorum jus spectaret, equidem nihil miror. Galli enim mili-  
 tari gloria clari, quum transito Rheno armis omnia adori-  
 rentur, civitates ad continendū sub imperio vices c opportu-  
 nas, præsidii firmabant. Harum Ultrajectum præcipua fuit,  
 tum in orā ultimā Imperij Gallorum citra amnem (vt nunc)  
 discriminatorem sita. Transit autem in Gallorū imperium  
 sub Valentiniano Imperatore, qui Viltos, Saxones, & Sla-  
 vos, omnia Occani littora fœdis populationibus vastantes,  
 jamque inde eruptionem meditantes, in Francorum finibus  
 oppressi, & insigni affecit clade. Mansit sub Gallorum impe-  
 rio tamdiu, donec omnem earum regionum jurisdictionem  
 Dagobertus anno <sup>a</sup> D. LXXV (si rectè tempora digeruntur) <sup>a Manife-</sup>  
 V Villibrordo, loci Episcopo, donaret. <sup>sus ar. auctro</sup>  
 dicitu est, quantis Barbarorum cladibus aliis super alias tum  
 herbescente paulatim Fide deinceps fuit afflita; sed à nullis  
 gravius, quām a Radbodo Frisiorum Rege: quem mox pau-  
 lo hinc ejectum Pipinus Caroli Magni pater in Frisiā se re-  
 cipere compulit. Ex his liquere opinor, initio inter Secundā  
 Germaniæ vrbes opulentas hanc celeberrimam viguisse, ne-  
 que Gallorum, neque Frisiorum imperio partuisse: sed quasi  
 Togatam, Romana usam libertate, suis legibus vixisse. Togæ  
 vestigium in Consulibus & duobus Senatorum primoribus  
 ad annum usque XXIX supra M. D nostra ætate perduravit.  
 Mercatus celebritas itaque effecit, cur Barbarorū incurvisbus  
 prædæ exposita, à <sup>b</sup> Gallorum Regibus defendentur. Quo b Res à  
 tempore usque adeò ejus florenissimæ opes fracte fuerunt &  
 accisæ, vt certamen cum Agrippina Colonia de Metropoleos  
 dignitate jureque suscepimus mittere cogeretur. Iam verò Ec-  
 clesia ipsa è tenuibus principiis, unde paulatim ad incredibi-  
 lem splendorem ac luxum pervenit, ortum duxit, vt sunt res  
 humanæ. Urbe enim tota V Villibrordi ejusque ex Anglia  
 comitum institutione ad Fidem ducta, Dagobertus Clotha-  
 rij filius Francorum Rex, qui mutato prioris vitæ instituto,

<sup>b</sup> natus. Nā  
 inter Dago-  
 berri &  
 V Villebrou-  
 di tempora  
 totum am-  
 plius facul-  
 tur inverces sit.

pietate clarus, & ad superstitionem usque religiosus fuit, Ediculam Divo Thomae condidit, anno D L X X V I I : quam Reges posteri ditissimis rerum possessionibus paulatim cumularunt. Invenio his duos annos subtractos apud Marcellinum in vita Svvichberti. Illis potius accesserim, qui tradunt ante Dagobertum locum Episcopalem fuisse, simulque Religionem Christianam iisdem temporibus cœpisse, quibus Gallorum Reges Fidei iniarentur. Argumento esse Clotharij, patris Dagoberti, & Theodeberti Regum, in eam Ecclesiam profusam munificentiam: cuius mentio in Bonifacij vita exstat. Quæ quum ita sint, fuit igitur Agrippinæsi & temporibus prior, & dignitate antiquior. Idem produnt, contra Barbarorū vim, Præsidium VViltēburgum (cujus supra à nobis mentio facta est) à Dagoberto conditum esse. Sed quum nomen sit à VViltis, qui aliquamdiu, Castello posito, ea loca occuparant, vero similius propriusque videtur, Dagobertum id validius multò fossa ac vallo, relieto pristino nomine, munivisse. Thomę jam Sacello paulò post à Frisiis diruto, VVilibordus in proximo, viginti inde passus, Oratorium Crucis condidit: primusque Episcopus a Sergio Pontifice Maximo declaratus est: nomenque Clemens illi factum. Mox Radbodo Rege a Pipino inde in Frisiam exturbato, Collegium Diuo Martino in eo loco institutum est, vbi paulo ante Thomæ Sacellum, incendio absumptum, Barbari demoliti fuerant. Exornavit id, mortuo patre, statim Carolus cognomento Magnus, contulitque eò dona magnifica. Et vt a Barbarorum incursu Episcopus tutus foret, Regiam veterum Regum (quod vetus Palatum tum nuncupabatur) ei dedidit. Addidit, immoda liberalitate, & magnificentia planè Regia, opes magnas; quas posteriores Reges Provinciis, Decimis, Tributis, portoriis & donis opulentissimis supra modum etiam cumularunt: tantum abest, vt Ecclesiæ aliquid detraxerint: quum Henrici, Conradi, Othones Imperatores,

Tabu-

T'oude  
Hoff.

Tabulis eorum Donationes etiam ratas esse jusserint. Traditione enim sunt earum Regionum Dominia, vnde Barbaros & Tyrannos expulerant: ut ea Ecclesia brevi tempore Regum opes penè æquarit. At Episcopi, homines diu pietate & virtute innocentia insignes, quum rebus divinis magis, quam profanarum rerum administrationi vacantes, negligentius sua tuerentur, vndique alij alia loca, vt quæque opportuna erant, occupare. Hinc postea Brabantiorum, Hollandorum, Gelrorum Principes, Comitem item à Benthem, Cuick, & Goit pulsos fuisse tradunt, quum anno M X X I, Adelboldo Episcopo, coram Henrico III Imperatore, in Praesidio Tulpico, religione se adstrinxerint, se pro Iurisdictionibus mancipio acceptis Praefuli Ultrajectino Clientes in posterum in fide permanuros. De moribus autem & institutionis eorum, qui initio Ecclesiæ rebus gubernandæ præficiabantur, quid attinet dicere? Tanta erat Collegij Crucis, ob intactitatis ac sanctimoniaz apud exterios populos existimacionem, celebritas; vt non solum inde nostra Ecclesiæ Episcopi renunciarentur, sed finitimæ etiam hinc exirent, à quibus res administrarentur. Bonifacius ordine secundus, & Gregorius in Catalogo tertius, ad Moguntinensem regendam electi fuerunt; Albricus ad Colonensem, Iohannes ex Herculaniorum Principibus, in postremis, ad Leodinæ gubernaculum emigravit. Hæc non obscura argumenta efficiunt, vt inducar subscribere iis, qui scriptum reliquere, usque ad exitum Bonifacij, qui incidebat in annum LV supra septingentesimum, Metropoliticum nomen hic eminusse: sed Bonifacio cum quinquaginta duobus collegis pro Fide in Dockheimo à Frisiis caso, quum vrbs ipsa iisdem temporibus fœdè a Nortmannis & Danis vastata jaceret, Ultrajectini illud Colonensibus detulere. Crevit inter hæc Ecclesiastica res magnis successibus, quum Barbari paulatim posita ferocia mitescētes, ad Fidem, abdicato

Idolorum cultu, desciscerent. Iuvit hos successus haud parum Episcoporum pietas & insignis eruditio, ut ea tempora ferebant, usque ad annum **119** supra millesimum. Quo tempore iterum Nortmanni, quasi ecnephias subito erumpentes, sub decepsum Ausfridi, in ordine **x 11 x**, primum Tyelam, mox sequenti anno Ultrajectum ingenti mortalium clade & incendio devastarunt: cuius opes saepe antea afflixerant sub **V Villibrordo**, deinde post mortem Bonifacij, rursum Alfrico Episcopo, qui in serie **x** est. Quibus temporibus multæ etiam Germanici Gallicique nominis clarissimæ Vibes vna excidio sunt deletæ. Iacuit post hanc procellam Batbaricam per aliquot annos civitas, muris solo & quatis, ruinisque deformis, donec Radbodus **xiv** Episcoporum, de migrando Daventriam, consilium agitaret. Erat Radbodus vir Regum imaginibus clarus, miraculis simul & fatidico spiritu magnus, Græcarum Latinarumque literatum juxta eruditus. Arguunt id ipsius Sylvæ utroque genere scriptæ, quæ adhuc exstant. At Danis civitate profligatis, Ultrajectum Daventria redit. Radbodo è rebus humanis sublato, Baldericus Clivensis, ob egregia in populū Ultrajectinum merita Pius cognomēto appellatus, vir excelsi ingenij, tum literis, tum belli artibus ex quo mirabilis, muro rursus urbem cingere est aggressus, anno **D CCC xc.** Hac eadem Nortmannica irruptione quum multos annos in Hollandia, omnis generis mortalium foeda fuga, agri & urbes vastæ incultaque jacuissent, ejus Comitatus, Caroli Calvi beneficio quidem, verum cum insigni Ecclesiæ Ultrajectinæ detramento, cœpit. Initium ejus in annum **LXIII** supra **D CCC** incidisse produnt Scriptores, Hungaro **x i** Præsule, anno quam Ecclesia condita fuerat **CC L**, aut circiter. Interim creverunt ejus res (vti dicere cœpi) ad id tempus usque in otio, incredibili luxu, & quidē Regū, Imperatorumque egregia liberalitate, quāndiu ab Episcopis regi giosis & doctis regebatur. Verum ubi pro innocentia impositura, pro

ra, pro gloriae contemtu ambitio, pro eruditione inscitia, pro  
 humanitate superbia, pro frugalitate luxuria, pro liberalitate  
 avaritia, pro continentia libido irrepescere, omnia in pejus labi,  
 bona à finitimis Principibus occupari, bella moveri, omnia  
 denique sacra profanaque commisceri. In hac autem opum  
 luxuriante affluentia, primi illi Ecclesiae moderatores, ho-  
 mines sancti ac pii, moderate se tenere, eas expendere in usus  
 quos Dco gratos arbitrarentur, Templa adificare, Cœnobia  
 condere, opima Sacerdotia facere, Ædes vetustate vel structu-  
 rae tenuitatem conlapsas sarcire: ipsi non solum Monasticam  
 religionem fortunis suis vehere ac juvare, sed ornatum etiam  
 induere. Siquidem Ausfridus in vico Turino Virginum Col-  
 legium, in Sacro Monte ad mille passus ab Amorfortia Bene-  
 dictinorum Cœnobium condidit: cuius Religionis vestitum  
 ipse quoque sumpsit. Id ipsum exemplum postea sequutus est  
 Godebaldus. Bernulphus D. Paulo Ædem in urbe, transla-  
 vis cù è Monte Sacro Benedictinorum opibus, posuit. Divo  
 idem Petro, & aliud Iohanni, Canonicorum Collegia. Me-  
 dius autem inter hos Adelboldus, D. Martino Tutelari, Ædi-  
 cula veteri diruta, novam Basilicam refecit. Conradus Suevus  
 in palustri loco D. Virginis intra mœnia Canonicorum Con-  
 tubernium. Godebaldus extra muros urbis ad Ortum Mona-  
 chorum Virginumque Cœnobia in paludibus constituit: De Ca-  
 qui Cancer Ordinis, proprie severam Professionē, vulgo ap-  
 pellatus fuit. Idem Middelburgi Regularium Sodalitium.  
 Deferbuit hic ardor intra pauca annū lustra: vt solent opti-  
 ma quæque, simul & ea quæ speciem Pietatis præ se ferunt,  
 in deterius sensim degenerate. Nam ubi armis sua tueri sunt  
 coacti, jam non Delubra amplius erigere, verūm Sacrorum  
 cura abjecta, Arces, castella, presidia in hostes condere adorū  
 sunt. Godefridus Rhenanus, Montfortiam & VVoerdam  
 contra Hollandos; Horestam in Gelros; Vollenhoam in  
 Frisios excitavit. Conradus Suevus ad Hollanderum vim

non sibi  
 van Sima-  
 te Marie,  
 Gest-  
 hœch,

retundendam Isemondanum Präsidium collocavit. Nec de-  
fuerunt, qui exultissimis etiam Monumentis ipsam vrbem  
exornarunt. Alij alia, vt quisque fuit belli quam pacis ama-  
tor, maximè ad res ab injuria finitimorum armis vindican-  
das fecerunt. Excitarat jamdudū fatale penè dissidium inter  
Episcopos Ultrajectinos & Hollandiq; Principes, illa regnorū  
Galliae ac Germaniae per secundas Iudithæ nuptias divisio.  
Etenim quum veteres Reges & Imperatores ditissima rerum  
Dominia in Hollandia, ( priusquam regnari ibi cœptum  
esset ) & Frisia, quorum Reges funditus armis delerant, & O-  
ceani Insulis, vnde Tyrannos pepulerant, Barbarorum crebris  
cladibus deterta, nullis designata limitibus ac pomœriis, Epi-  
scopis pro desudatis in mense Verbi laboribus donassent: vbi  
Calvi jussu, pacatis rebus, in ea Insula parie quæ Holtlandia  
appellabatur Comites cōsedere: hi statim angustias regni  
ampliare, limites propagare, virtute atque arte Ecclesia opes,  
insulas, arces, vt quæque maximè erant opportuna, occupa-  
re; bello Frisiā sui juris facere; multis secundis præliis ege-  
gium nomen, summamque gloriam sibi parare. Horum for-  
tunam post Carolum Calvum, Reges Gallorum contra Epi-  
scopostueri; Imperatores vicissim majorū Donationes con-  
firmare, Ecclesia jura & opes defendere, denique certatum sua  
potiora haberi velle. Hinc odium inter vtrumque populum  
seminatum, bellumque perpetuum fuit: quod immortale  
futurum prospexerat Adelboldus, xix in serie Episcopo-  
rum. Huic quum à Theoderico iv Hollandorum Principe,  
rerum ablatarum pretextu, sive quod eo auctore Frisiā defe-  
cisse diceretur, arma essent illata; prælio superatum, Isemon-  
dæ tres annos captum tenuit. Eum, omni spe alioqui ad Epi-  
scopatum redditus incisa, deierare ad extremum compulit; nec  
se, nec posteritatem ullum in Hollandiam, nullum in Frisiā  
jus usurpaturos. Confectæ inde sunt Tabulæ. Itaque hoc Foe-  
dere pace confirmata, restitutus fuit Adelboldus. Dissiden-  
tibus